

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
IGNORANTIA
ERVDITORVM OBICE
QVAE VVLGO AVDIT DOCTA

ASSERTA
COGNITIONE RERVM VERBIS IVNCTA
EARVMQVE NOMINIBVS DESIGNATA
PER LITTERARVM ELEMENTA MONV-
MENTIS TRADITA

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
VVESTPHALIAEQVE ET RELIQVA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV

IN ACADEMIA SALANA
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVIGATIONI
ANNO AB EMENDATA LVTHERI RELIGIONE
IVBILA QVO POST FESTA ALTERA TERNA PROBANT
MDCCXX.

DISCVTIENDAM SVBIIICIT
M. IOAN. GEORG. ANSORG.

ROMVLIDANVS FR.
P. L. C.


I E N A E
LITERIS VVERTHERIANIS,

a. III. T.

Coll. diss. A
3, 1

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
DRESDEN
Sächsische Landesbibliothek -
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden





Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Cum primitiua & primaeuis humani generis parentum personis concreata sanctissimi Numinis imago post lapsum eorum miserandum in modum de statu suo gloriosissimo & dignitate plusquam regio deiecta esset, non summa tantum intellectus eorum rerum cognitione, ac voluntas ad sanctissimam Numinis diuini voluntatem se conformandi propensione, sed & naturali rerum scientia & sapientia mens hominum instructa ea naturæ vi insita cœpit destitui, qua rerum quarumque naturam ac indolem ex ipsa eorum, quam prae se ferebant, imagine cognoscere ne vlllo quidem negotio vel primo statim intuitu videbatur. Tanta autem post varia & insana primaeuae gentis molimina per ipsa mortalium dissidia, vt animorum, ita linguarum quoque ac idearum, quas circa res sibi fingunt, nata sunt inter illo discrimina, vt ipsi mox inter se dissentire, nec a semet ipsis intelligi viderentur. Tanta illos ad comparandam sibi nominis immortalitatem cura incesserat, vt falsa sibi imaginis diuinitu acceptae persuasione ad alia potius omnia, quam verae

rae quadam virtutis aemulatione inducti, correptos se distrahi, deprehenderent. Tanta hinc rerum in vniuerso enata confusio & obscuratio, vt vel doctissimus nunc quisque non possit non suam quam plurimis in rebus, quantumcunque etiam cognouerit cognoscendoque profecerit, ignorantiam profiteri, atque cum philosopho subinde ac poëta ingeminare: *Quantum quaeso quid est, quod scimus & ignoramus!*

PARS I.

PROPAEDEVMATICA S. SEME- OTICO PHYSIOLOGICA.

§. I.

EX quo, adspirante supremi Numinis immortalis gratia, sacrarum non minus ac diuinarum, quam profanarum humaniorumque litterarum studia, summorum quorundam, diuinitus ad emendandae religionis negotium excitatorum, virorum opera renasci ac reflorescere coeperunt, sereniorque sic orbi christiano lux affulsit; in eam mox supra hominum opinionem mortalium conditio mutata est rerum faciem, vt, quamuis non ad summam omnes aeternae salutis sapientiam traducti, ad saniores tamen plerique rerum scientiam bonarum litterarum ope, salutari non minus, quam coelesti, auspicio adducti viderentur. Siue enim densissimam, quae orbi tunc vniuerso incubuit, hominum spectentur caliginem, siue ad eorum, qui scholis atque ecclesiae praerant, mores quodammodo respiciamus, summam profecto turpissimamque temporum istorum barbariem, mouumque disciplinam corruptissimam & detestanda humani generis exem-

exempla, pecorum se potius, quam pectorum, aut decorum in morem se efferentia, deprehendimus.

§. II. Cui tam stupendae, quam abominandae, ignorantiae seculo cum benignissimum in coelis Numen gratia plus quam solenni indulgisset, eo tandem res cum successu euenit, vt nascente in dies bonarum litterarum lumine & coeli ipsius sidera renasci atque remitti veluti in orbem viderentur. Quamobrem diuini illi & a Deo immortalis ad rem istam seculorum omnium memoria dignissimam excitati perpetuis ab omni posteritate laudibus ad coelum tollendi sunt viri, laudibus his nostris longe maximeque superiores, Megalander, inquam, LUTHERVS noster, & fide illi coniunctus parastata, MELANCHTHON, communis, dum viveret, ac posterorum in ore superstes futurus est, Germaniae praeceptor, suis adhuc meritis celebrandi.

§. III. Quicquid proinde vel intelligentiae vel sapientiae in animis hominum superesse adhuc vllibi cernitur, nil nisi umbram quandam obscuramve earum referre potest imaginem, quae claris ante apertisque rerum ideis oculisue ferentioribus vsurpauimus. His autem ipsis, labente mortalium natura, ex hominum memoria collabentibus, quid pristinae imaginis haereditas ad miseram posteritatis memoriam transferre possit, aut vindicandi sibi ac prorsus in integram restituendi iuris compos existimetur? Ea enim iam rerum vbique facies terrarum orbi est introducta, vt praeter relictas quaedam intelligentiae, naturae lumine producta, femina parum admodum residuae imaginis diuinae cognoscamus, tantum abest, vt, quae Dei sunt, mysteria ingenue perspiciamus, vt ne, quae naturae sunt, arcana saepe obuia

lustranda, quamvis nomina percipiamus, satis tamen ex rei ipsius indole intelligamus.

§. IV. Quam ad rei veritatem indagandam ut paulo iam propius mentem adiiciamus, quaeso, quid ratione prius, quidue antiquius in orbe, literato etiam eruditoque, salutaris consueverit? Ecquis, quaeso, rerum est tantum non omnium ignarus, qui non rationis saepissime se usu certantem iactitet, ea tamen, quid re ipsa sibi velit, sibi ipsi, quantumvis sapere prae aliis, aut saltem videri velit, miserrime destituatur? Quid! si vel maxime quid intellexisse sibi visus aliquis fuerit, quid, inquam, magis mente plerumque conceperit, quam quod a suis quondam parentibus, praeceptoribus, maioribusque vel fando saltem perceperit, aut quod *narrare patres, & ab his didicere nepotes?*

§. V. Vnde adeo cum ipsa hominum natura ignorantia, quae vulgo audit, docta per quandam veluti traducem hinc inde a fratribus his ignorantiae propagatur. Quae cum latius profecto pateat, quam qua per omnia ipsius latibula & veluti asyla persequi liceat, operam non omnem perdituros, sed pretium illius quoddam facturos nos esse, existimamus, si, quae vulgo certe eruditorum pestis instar, aut labis cuiusdam adhaeret, ignorantiam, quam vocant, doctam, circa literarum monumenta curatius subinde exercendam, breui saltem leuique opella excutiendam ad philosophorum tribunal rectaeque eorum rationis dictamen, quos penes arbitrium est, & ius & norma loquendi statuendique, examinandam vocabimus, turpissimam hinc multis incubantem ignorantiae maculam, quam sibi propriam in foro grammatico allegare quam plurimi tenentur, fungi instar abstergendi munere defuncturi.

§. VI.

§. VI. Cum autem multa sint, quae de ingeniorum cultura & graua, & vtilia, accurate copioseque a philosophis pridem sunt agitata, latissime patere videntur ea, quae de litterarum cultura tradita ab aliis, ab aliis praecepta sunt. Non enim vllum est disciplinae genus, neque publicis, iisque forensibus, neque priuatis siue domesticis in rebus, quod vacare eorum officio sine damno aliquo aut doctae ignorantiae nota possit. Quamobrem nec quisquam est, qui non eiusmodi officii praeceptis, sibi quondam haud digne satis traditis, accuratius tradendis philosophum se dicere audeat? Sed sunt nonnullae disciplinae, quae propositis linguarum ac litterarum finibus significandi quoduis officium peruertunt. Nam, qui rerum ita plerumque nomina instituunt, vt nihil habeant cum virtute rei insita coniunctum, idque suis dumtaxat commodis, non veritate, metiuntur, hinc, si sibi ipsi consentiant, nec rei naturalis veritate vincantur, fit, vt neque indolem verborum satis intelligant, nec veritatem, nec verosimilitudinem.

§. VII. Vt ergo omnis, quae a ratione suscipitur, de re aliqua institutio proficisci a definitione debet, vt intelligatur, quid sit, de quo disputetur; ita ad naturam rerum earumque originem prius nobis est recurrendum, quam ad ipsa rerum momenta & monumenta, verborumque significationes ac nomina animum aduertentes sententiam dirigamus, hinc inde nostram in medium proferamus, ac certi quid de re qualibet statuamus. Vnde proposita a nobis ignorantia eruditorum docta audit, quae vel optimo cuique doctissimoque ingenua est mentis ἀναπαίδευσις carentia quaedam, siue absentia vel haesitantia, qua quis sui ipse ingenii circa rem aliquam rationem aut plane non norit, aut penetrare

trare saltem non dum didicerit, ac penetrare se vnquam posse, vix ac ne vix quidem sperauerit, tantum abest, vt animum inducat sibi que persuadeat.

§. VIII. A *Synonymia* si res illustranda sit, idem fere nobis haec est ignorantia, quod *inscitia*; nisi quod ignorantia totalem quandam rerum idealium in mente negationem designet; *inscitia* vero aliqualem saltem rei cuiusdam notiam suspendat, seu actualem rei quandam ignorationem, nubeculae ad instar post depellendae, inuoluat; cum illa habitualem quandam ingenii hebetudinem, stupiditatem, difficultatem, aut qualitatem, quam scholastici appellant, difficulter mobilem, designet. Quocum vel ipsa vox ruditas congruere videtur, qua sublata eruditio enascitur, quae ignorantiae plerumque opponitur, siquidem nunc velamento Mosaico obducti, nunc spissis nubibus obuoluti & offuscati in sacris dicimur; quae quidem omnia naturalem rerum per se ipsas aut nominis cuique impositi rationem spectatarum cognitionem nobis denegant, destructamque per lapsum protoplasti in nobis concreatae primum imaginis diuinae similitudinem ad simulacrum vsque vix reliquam satis arguit.

§. IX. Ad *Homonymiam* si rem exigamus, etsi per se manifesta facile videatur, non minus tamen hinc lucis foerari hanc demonstrationem, existimo, quam ex harmonica coelestis veritatis testium collatione euangelicam. Vt enim vno rem quamvis vocabulo complecti ac designare ad sensum mortalium animis inspirandum vix licet, nisi eandem & pluribus magisque perspicuis reddere ac demonstrare potueris; ita & homonymia hic opus esse, non ad euincendam,

dam,

dam, sed illustrandam rei, cuius causam suscepimus, naturam, facile hinc quisque intelliget. Ita enim Graecorum, a quibus humana queuis ad nos translata est sapientia, vocabulo redditur *ἀγνοια*, quod mentis & intelligentiae naturalis negationem inuoluit, ut hinc saltem constet, quam mentis a natura expertes rerumque imperiti proueniamus, ut ne intelligere nos quidem, tantum abest, ut cognoscere aliquid queamus, nisi certis ante principiis cognoscendi utamur, luminisque naturae & gratiae, seu rationis cum reuelatione collatae, ope nitamur. Cuius generis iisdem est *ἀλογία*, *ἀμάθεια*; Latinis ingenii ruditas, amentia, seu mentis coecitas, irrationalitas, caligo, tenebrae, hallucinatio, destituta intelligentia.

§. X. Sed ne praetermississe aliquid videamur, quod ad ignorantiae, quam tradimus, cognitionem pertineat, *genus*, a quo producta est, ipsa est ingenua sui deficientia seu destitutio prioris illius imaginis, ad quam homo primum conditus ratione intellectus summa erat scientia praeditus, ad cognoscendum, quid bonum malumue, quod arbore scientiae boni malique veluti praefiguratum, cuius lapsu non nisi miserrima illius umbra, speciesque saltem restaurandae imaginis remansit, quae ad primam quidem sui perfectionem vix ac ne vix quidem perducitur potest aut refingi. Unde, vel posterorum, quantumcunque relictum sit, ingenii simulacrum non nisi pro umbra & rerum omnium rudimento haberi posse, palam est ac manifestum.

§. XI. A genere ut *species* est dignoscenda, sic ignorantia docta eximia est deficientiae illius seu defectio- nis ab imagine primum concreata filia, genuina magis, quam satis ingenua,

B

nua,

nua, h. e. cum sua inde ab origine propagine coniuncta, quae vel sapientissimi in vita mortalium semine producta, nulla tamen, nisi rerum omnium ignorantia, cognitione per naturam est instructa, nisi artis praeceptis institutisque ad scientiae tam naturalis, quam moralis & civilis adyta denuo traducatur & instauretur. Vnde miserrimam totius generis humani conditionem animadvertere liceat, cuius tanta in rerum vniuerso obuia habentur monumenta atque vestigia, vt, quo propius ad rerum intelligentiam nobis peruenisse videmur, eo vel maxime contendentes, ab ea nos longius abesse, intelligamus, siquidem, quaecunque in hoc vniuerso cognoscimus, per speculum duntaxat in aenigmate contemplamur.

§. XII. Quo autem generis ac speciei traditae a nobis ignorantiae discrimen aliquod luculentius constet, in eo saltem notanda eius est differentia, quo docta audit, atque ab aliis speciebus numero pluribus distinguenda venit. Haec enim ita ab aliis differt, vt summa eius animaduersio laudem in tantum ab omnibus mereatur, quantum cum ipsa rerum natura diuinitatis atque similia naturae mysteria nobis abscondita sunt atque prohibita; tantum abest, vt coniectura eadem consequi aut penetrare quorumvis naturam liceat. Quo quidem modo ignorantia haec docta a communi & vulgari, seu purae negationis, seu pravae dispositionis, tam diuersa est & aliena, vt, quum illa non in laude, sed vitio ponenda, haec contra pro virtutis caractere habenda sit, a quo vel optimo cuique tuto quam longissime abesse eiusdemque a studio discedere omnino licet, nisi, vel a fide vel religionis, qua a mysteriis scrutandis prohibemur, sacramento desciscere, susque deque habeamus.

§ XIII.

§. XIII. Vnde, si *proprium* doctae huius ignorantiae peruestigaueris, hoc certe ex indole doctissimi cuiusque & sapientissimi haud dubie licebit colligere. Neque enim, vel eruditioni vel sapientiae, qua mortalitas circumscribitur, hinc quicquam decedere, si suam quis ignorantiam in rebus sublimioribus, arduisque & supra hominum rationem captumque positarum candide ingenueque potius profiteatur, quam si simulata quadam multi scientia stultitiam, qua sciolos ejusmodi philosophos Deus deprehendit, prodatur, omniumque sese ludibrio exponat. Quo ipso, pietatis hoc studio, eruditionis potius, quam eruditae & absolutae perfectionis memor, nihil prius habet, nihil antiquius, quam ita lumine naturae semper uti, ut ad reuelationis cynosuram rationis normam ubique dirigat.

§. XIV. Ad *accidentia*, quae circa doctam se offerunt ignorantiam, qui propius aliquando aduerterit, varia passim, quae doctis seu eruditis vel sapientibus quoque ceu maculae solarium ad instar adhaerescunt, offenderit. Quae quidem, quamvis cunctae non cunctis comites se iungant, non nullis tamen personis adeo non dedecori ducuntur, ut pro virtutis saepe notis ac characteribus reputentur, atque ad imitationem quoque affecto quodam vel aemulandi vel simulandi quocunque studio trahantur. Quorum in numero locutiones quibusdam, quantumvis longe a vera latinitatis indole alienae, adeo tamen solennes habentur ac familiares, ut flosculorum instar lectissimorum decorumque elegantiorum passim ab iis in deliciis haberi videas, qui, quo illustriori in loco ac sublimiori sunt constituti, eo maiori cunctorum in se oculos animosque exemplo conuertunt, ad

quod, ceu regis auspicio, imperitum deinceps vulgus totusque orbis componitur.

§. XV. Cum vero ex rei cuiusque *opposito* manifestior illustriorque eadem euadat, ignorantia, quam venditamus, docta nonnisi scientia rerumque cognitione, quantum eius mortalitas hic capit, aut capere natura potest, absoluitur. Vt enim rerum omnium ratione destituta est ignorantia, ita scientia est rerum, quae sciri possunt, sententia cognitione realis, in quantum mens hominis seu intellectus earum particeps est & instructus. Quod ut planius paulo intelligatur, monendum, τὸ *scire* perinde esse, ac τὸ *esse scire*, aut essentiam cognitione arcessere, ac consequi, dum ad scientiae mox usum artemque magis magisque exercendam rem transferendo pertingat. Cum enim ars aliunde non constet, nisi ab arcendo, facile hinc patet, eandem artis atque scientiae denominandi esse rationem, artemque ab arcendis potissimum rerum causis, sicut scientia a rerum ciendarum essentia velut sententia maxime appellata videtur, nominis hoc esse adeptam.

§. XVI. Sed ne nouam forte hanc nominis rationem nouus quisque pro ficta & temeraria habeat, sinistre hinc nominandi malamque in partem interpretandi rem causam deprecor. Ac ne ignorantiae quis reum se prodat, mirari quidem ac dubitare paulisper, dum mentis nostrae sententiaeque compos ac particeps euadat, licebit, sed morari, & quam primum tenet, opinioni immorari, nefas habebitur. Cognatas enim & coniugatas esse verborum nominumque cum rebus ideas, per se quemque intelligere, ac ratione consequi, omnino posse, vbi rerum certe rationem habue-

habuerit, plane mihi pleneque persuadeo. Vnde & adiuncta quaeque rerum vocabula pro signis earum cognoscendarum principiisque veram earum essentiam ex parte saltem in vna, ex alia in alia linguarum scientia deducendi, habenda existimo. Quo quidem pacto ignorantiae, quam vindicamus, doctae natales recte nos retulisse, confidimus.

§. XVII. Cum vero connata haec ignorantia defectus sit intellectus, qui, corrupta & deprauata hominis post lapsum natura, ideas ei primum insitas perspicere & intelligere non potest; facile hinc est collectu, obscuratam hanc luminis naturae imaginem superioris vi luminis sive reuelationis emendari quadantenus restituique posse. Hanc enim reliquam vim rationis humano adhuc ingenio superesse, nec exempla nobis, nec testimonia ipsius scripturae sacrae defunt, quibus, licet imperfecta, insignis tamen rerum quam plurimarum naturalium notitia homini tribuitur, quae adeo usque in filiis seculi se exserit, vt ipsis lucis quoque filiis palmam praeripere a Seruatore perhibeatur.

§. XVIII. Quo autem modo restituenda res omnis veniat, disciplinis maxime & contemplatione peragitur. Disciplinis enim intellectus quaevis obscuritas vel imbecillitas dispellitur, vt discendo quotidie mens diescendo quasi collustretur atque illuminetur, vt, quae antea ne sensu quidem percipere se posse sibi visus est, nunc capax magis magisque in dies reddatur, vt plenius res planiusque capiat cognoscatque. Contemplatione porro multa adhuc alia ad sensum deteguntur, ad quae rerum antea ignarus coecutire nec hallucinari quidem, nisi artis ope atque subsidio, videbatur, cuius tamen officio, sinistro magis quam dextro ministerio adiutus, falli saepe ac fallere sensibus consuevit.

Quod vt rite nobis in praesenti negotium suscipiatur, feliciterque ex voto animique sententia eueniat, diuino auspicatoris auxilio potissimum opus est, idemque ad rem nobis agendam exorandum est Numen, vt, quae summa eius in miseros mortales est gratia, Spiritu nos suo ita regat ac dirigat, vt mentis ipsius lumine collustrati naturae mysteria ad veritatis coelestis normam, rationemque adeo ad reuelationis amussim, tanquam ad Lydium veri lapidem exigentes, vnum, quod verum bonumque est, assequamur!

§. XIX. Quo quidem pacto vel eo nomine docta notatur haec ignorantia, quod patrum praeceptorumue auctoritate plerumque nititur, eorumque vel sola traditione munitam satis tutamque se credit; quantumvis nulla praeterea nec rei nec verbi ipsius aut nominis ratione quodammodo se doctos atque adiutos intelligant, nisi quod pro sua isti semper auctoritate hoc vnum suorum animis inculcare consueverint: *Aio, dico, statuo; sicut a maioribus accepi, vobis trado.*

§. XX. Non ignauorum tamen a sylo docta hac ignorantia palladium aliquod struimus, sed, eruditus praestare mirari, quam rimari, eiusmodi praesertim res arduas, vbi ne tantilla quidem inter scibile sciolumue excogitari proportio poterat, contendimus. Ignoratum vtique est a maioribus, vt a nobis ignoratur, & a nostris etiam, quod Deus suae ipsius omniscientiae ac prouidenciae certis saltem aetatibus reseruauit, ignorabitur. Haec enim diuini res est arbitrii, liberrimaeque & absolutae Numinis potestatis, artium aliquas & scientias interire, alias vero vel ignorari per omnem mortalium aetatem, vel nouas plane produci iubere ac constitutere.

§. XXI.

§. XXI. Sed, quam male rebus ipsorum inde consultum sit qui patrum sententiis aliorumque dictis temere nituntur, atque ab ipsorum ore velut ab ubere materno infantuli pendent, ipsi demum, cum rectius sapere didicerunt, usuque rerum edocti, quantum ipsorum standum sit fidei, suo pte cum damno intelligunt. Quamobrem laudanda potius philosophorum sunt instituta, qui nihil temere, quod a maioribus dictum factumue est, ex aliorum arbitrio amplectendum existimant, quam sine vlla satis probabili ratione fides verbis habenda, quorum ipsi neque certam aliquam ideam, neque indolem ex ipsa rei natura petendam, capiunt ipsamve eorum originem sequuntur.

§. XXII. Quam vero misere nonnulli causa cadant, qui aliorum vestigiis inhaerentes nihil, nisi quod moribus ipsorum conueniat, rectum putant, eorum quotidie exemplo comprobendam rem videas, qui nihil, nisi quod scriptum iam olim dictumve fuerit, vel dici vel scribi adhuc posse existimant. Vnde ex antiquorum fontibus ac riuulis, qui sua primum ex ingenio duxerunt, sua multi haurienda adhuc arbitrantur, licet ipsi, suo si vti velint ingenio, viribusque suis non omnimode diffiderent, multa praeter antiquorum inuenta ex seipsis aranearum in morem, telas pulcherri-
mas conficientium, deducere valeant.

§. XXIII. Qua de re cum plurimorum iam passim obuia sint argumenta, vix est, quod eandem nunc telam de-
nuo texendam suscipiamus, nisi tam manca, mutila & imperfecta vndique doctorum hac de re virorum sit sententia, ut, quid ingenua & genuina rei sit ratio, cur hoc illudve rei
vocabulum hoc illove modo literis his atque illis varie sub-
inde

inde exaratum signatumque legatur, ignorare quam plurimi videantur. Quare, etiam si vtraque dissentientium pars certa quadam ratione niti quandoque videatur, ipsa tamen rei veritas non a duorum semper alteriusue arbitrio sententiaque pendet, sed alius cuiusdam iudicio a rei ratione confirmata & conformata discernenda, & sublata quavis verbi aut vocis ambiguitate ipsa rei significatio ex eius natura atque indole decidenda est, atque ad sincerum fori usum reuocanda ac vindicanda.

§. XXIV. Quod si in litteris ac singularibus verborum ideis usu venit, ut vix certi quidquam, quod statuere cuiquam licet, appareat; quo quaeso magis in compositis res ita se habeat, ut error errorem pariat, eoque semel commisso ab absurdo aliquo ad plura saepius delabatur. Nisi enim perspectum quis ante habuerit, quid sit, de quo sermo alicui veniat; quas quaeso miseri deinceps, arrepta semel falsa verbi vocisque idea & hinc orta sententia, ambiguitates ex inde oriundas euitandas conceperint? quot quaeso falsae atque heterodoxa viris ingenuis ac innocentibus, & quorum vix simile quid vnquam in mentem venit, ab inconsultis verborum interpretibus, de quibus ipsi potius audiendi, quam damnandi, aut impugnandi, sententiae tribuuntur.

§. XXV. Indigni igitur nec audiendi propterea sunt iuventutis illi magistri, qui nullius vnquam rei rationem auditoribus reddendam putant, nisi quam a piis olim Praeceptoribus, ceu ignorantiae subinde patronis, traditam, acceperunt vel aliorum ex riuulis, a veris licet fontibus longe distitis, & a philosophandi sic campo admodum remotis, quodammodo hauserunt. Quamquam nec hi omnes temere promiscue
haben-

habendi, quibus Deus in scholis inferioribus locum aliquem classici, quem vocant, ordinis assignavit, sed commiseratione, qua positi sunt, stationis digni censendi, quod ad eam fors dignitatem eos detrudit, quam vel centesimus vix quisque viro honesto dignam, sed abiectam censet; quibus & summus sapientiae antistes & scholarum patronus aeterna pro tanti laboris exhausta molestia virtutis praemia & gratiae ipsius pignora solatio ipsorum constituit.

§. XXVI. Sed de iis potissimum disciplinarum custodibus hic nobis sermo est, quorum prius nihil, nihil antiquius, habetur, quam earum ubique rerum praecepta tradere, quae non tam ad scientiam, quam veram vitae sapientiam viam pandunt, adeoque non ad scholam tantum, futuramque ex inde rerum verborumque obliuionem, sed ad vitae potius salutaris usus aeternaeque sapientiae auctoramenta & praesidia curas suas, cogitationes omnes atque consilia conuertunt. Quo quidem loco ac munere indigne funguntur, qui dignitatis saltem ambitione praemiis labori propositis inhiant, laboris autem ac muneris ipsius rationem vel reformidant, vel suis ipsorum commodis inservientes negligunt, minusque adeo rem pensi habentes, siue rapti siue capto fruuntur, modo suis commodis utilitatem metiri liceat.

§. XXVII. Quod si serio ubique rerum suarum satagerent, qui amplis eiusmodi prouinciis praeesse gaudent, vix sibi reliquum, quod otia permetteret, aut aliena omnia tractanda indulgeret, tempus futurum senserint. Hi vero aliarum rerum studiis addicti non possunt non varia committere, quibus pro ignorantia, quam vulgo iactant, docta rudem prorsus atque ineptam miserrime turpissimeque venditant.

C

Neque

Neque enim peruersi isti literarum antistites insigni illa, quam bacca laurea ostendunt, palma palmam facile merentur, aut iactata opera quacunq[ue] gratiam, quam sibi fingunt, apud iustos aequosq[ue] eorum arbitros rerumq[ue] scholasticarum peritissimos inibunt, siquidem hi sua magis, quam iuuentutis ipsorum fidei commissae, commoda plerumq[ue] spectant, neque muneris, quo gaudent, rationem habent, nihil quippe aliud agentes, quam vt doctae se ignorantiae pallio in fratrum sibi similibus consortio tueantur.

§. XXVIII. Nec tamen soli minorum hi gentium dii rei sunt istius pruriginis, qua pestis instar longius se latiusq[ue] diffundunt, quam scholarum adhuc limitibus sunt circumscripti. Siue enim lycea spectes illustria, iam angvis iste veluti in herba latet; siue Athenaea lustres celebria, id ipsum mali profecto genus malo omni ibidem latius regnare, quam quod miseri subinde augurari & hariolari quodammodo aut subodorari valeant, res ipsa loquitur. Quid, quaeso, rudi omniumq[ue] rerum ignara hominum opinione, de eruditione & sapientia vulgarius? quid ea ipsa circa litterarum studia perniciosius? quid vaga tandem atq[ue] ancipiti in certo studiorum genere amplectendo periculosius? quid ipsa denique vivendi ratione ex discendi hoc modo per aetatem inconvenientius?

§. XXIX. Qui quidem aliis rectius iisque maturius sapiunt, neglectis politioris literaturae studiis ad artium quarumq[ue] & scientiarum campos procurrunt, in quorum initiis locorum primum divortia vel plane praeteruehant, vel, sicubi offendunt, quibus in partibus maxime indignum quidquam commiserint, quod emendare deinceps maiori certe cum damno, quam antea, properato itineris, sed praepedito magis, studiorum cursu, vix ac ne vix quidem vnquam
fatis

satis se posse intelligunt. Quid igitur his factū opus? quid consilii? num, qua semel coeperint, pergendum, numue ex erroneo eodem itinere mox recedendum? Vtrumque sane molestum pariter, nec, quid compendii faciendum, manifestum licet, commodum cuiquam satis fortasse videbitur.

PARS II.

PARADIGMATICA S. PATHOLOGICO-PRACTICA.

§. I.

Est autem *docta* nobis *ignorantia* duplex potissimum: Alia nim. rerum, vsque adeo supra rationis humanae captum positarum, vt eadem ne investigare quidem, tantum abest, vt persequi omnino homini liceat. Alia vero rerum, tanto a cognitionis nostrae ac rationis lumine intervallo remotarum, vt vel summa rationis viriumque mentis contentione consequi eadem ac penetrare non liceat. Vtraque a viro bono tam est aliena, vt ne cogitationem quidem aut curam eorum suscipiat, quae ignorare Deus nos ipsos voluit, siquidem, si rationem eius omnino quis exigat, vel ipse rem minime capiat, vel, si quid capere omnino possit, parum cognitionem ipsius iuuerit, eamue quodammodo feliciorum reddat, sed ad varia potius calamitatum genera detrudat.

§. II. Quam vero longe adeo peruersa hominum natura a primaeua sibi diuinitus concreata imagine recesserit, vel inde patet, quod sciendi eorum desiderio vix vlla satis fieri ratione potest, quantumuis infinita rerum sit multitudo, quarum in studiis & cognoscendis earum causis per omnem

iis vitam versandum est, nulla tamen earum facile satietate capi aut vinci omnino videantur. Ecquis enim tam rerum ignarus est omnium, qui, *doctae se ignorantiae* limites transgressum nunquam fuisse, temere sibi persuadeat, quoties rerum ab hominum cognitione remotarum atque sanctissima diuinitatis circa eius mysteria scrutanda lege prohibitarum causas quaesuerit aut indagandas susceperit?

§. III. Quam infinita in Theologorum castris quaestionum ac controuersiarum seges vbique se exserat, tot militantium in illis pugnae, stragesque & clades passim editae de finibus imperii limitibusque doctae istius ignorantiae haud temere transfiliendis abunde nos docent dehortanturque. (*) Ne vero scholasticorum iam cellulas turbemus, classesque eorum ac ordines provocemus, in quorum latibulis nihil, praeter domestica aut potius intrinseca bellorum certamina, spectare atque audire liceat; quae quidem omnia superstitiosum ingeniorum istorum plusquam otiosorum sciendi pruritus satis superque ostendant; nostrorum saltem solennem modo de arcanis atque mysteriis (certa quidem ratione haud negligendis,) edisserendi morem ac consuetudinem pro seculi praesentis curiosa, quam vocant, indole, attendamus. Quid enim multis pro innato sciendi illo desiderio infinito familiaris, quam spirituum, quos vocant, familiarium, conciliatio, vsusque & consuetudo cum iis inita? ne pacta quidem, ceu nefanda & bonorum quorumque mentibus totoque pectore abominanda, auersanda & detestanda commemoremus, quae sciorum eiusmodi hominum societati infausto proh dolor! successu apud nos euenisse, non absque horrore adhuc meminimus.

§. IV.

(*) vid. CHR. SONNTAGII Dissert. inaug. de *Ignorantia Theologorum laudabili*, Jenae, Praef. D. VELTHEMIO MDCXC. habita.

§. IV. Ad *Jurisprudentiae* cancellos eiusque consultorum ordines si transeamus, eorumque a scientia ad conscientiam appellemus, quid maiestate multorum superius, quid excellentius aut illustrius, quam voluntate, nutuque ac iussu ignorantiae ipsorum doctae praesidium aliquod comparare, quorum auctoritate ac voluntate pro legibus & rationibus standum & statuendum, quicquid ex iuris scientia vel summa eius prudentia decerni subinde nequit? (*) Hoc vero quid aliud, quam nodus ille Gordius, cuius nec modus, nec finis, quos ultra citraque bonum consistere nescit? Nihilo propterea secius ad iurisprudentiae tribunal referendae ac exigendae res omnes vocantur, quae, quamuis in causis praefertim arduis (**) sancta iustitiae auctoritate nitatur, a summi tamen nonnunquam iuris, ad summam propius iniuriam (***) accedentis, auspiciis per ministrorum, sinistras saepe manus tuentium, arbitria longissime recedere nequaquam veretur.

§. V. Ad *Medicorum* scientiam si valetudinis ratio componatur, multis eam articulis venisque admodum laborare, ipsa, qua velut Aesculapii baculo nituntur, manifesta prodit experientia. Quot enim casus illis suppeditantur, tot fere novas artis suae hinc regulas conficiunt, doctam adeo naturae, tam diuersae, quam multi formis, ignorantiam vel tacite agnoscentes, cuius primum praecipuumque habetur, casus, ubique valentes, advertere, certasque inde experientiae rationes methodosque deducere, ad quas in posterum

C 3

for-

(*) Celsus lib. XXVI. dig. *scire leges non est verba earam tenere, sed vim atque potestatem.*

(**) De quibus I. H. BOEHMERVS, Ictus Hall. Diss. pecul. consultandus.

(***) qua de re I. P. KRESSIVS, Ictus Helmst. Diss. sub tit. *summam Jus summa iniuria*; testatur.

fortasse obvias componere aegrorum infirmitates atque ad integrum veluti restituere quodammodo liceat. Quis cura haec in causis rerum investigandis eo penetrauerit, ut, quid *methodus* sit *sympathetica*, edoceat, nisi a docta hac ignorantia asylum petere non erubescat? Quod si forte inficias temere quis iuerit, eorum certe communi proverbio, ceu ignorantiae Medicorum praesidio, convictus refellitur, quod ipse nobis Poëta tradit: *Non est in medico semper, releuetur ut ager. Interdum docta plus valet arte malum.* Quid hoc rei aliud, quam sancta & ingenua doctae Medicorum ignorantiae professio, (*) ipsorum non esse, quaeque morborum genera ab aegris tollere, aut vitam ipsis mortalibus restituere? Vel enim ipsa miserum incerta docet Experientia, succlamans: *Tollere nodosam nescit medicina podagram.*

§. VI. *Philosophorum* tandem si placita consideremus, mirum quantum in iis discriminum deprehendimus. Ipsi rationis ac naturae lumen sequentes ignorantiae abyssum euitare vix possunt, quin charybdin fugientes, in scyllam grauiter se incidisse, cum ingenti saepe dolore ac damno salutis experiantur. Quis animae ipsius immortalitatem vnquam animo complexus est aut assecutus, quin sui ipsius ignorantiam fateri, quoties de semetipso paululum cogitauerit, necesse habuerit? Quis lapidem philosophorum absque grauissima offensione sumtumque iactura vel summo qucerendi studio vel cuncta mentis suae indagine se inuenisse vnquam, praeter doctam ipsius ignorantiam, tuto satis iactauerit, qui ex euentu eandem non profiteri maluerit? Quis oratorum & summae eloquentiae artificum morali vi quadam aut civili
morta-

(*) vid. Exc. HOFMANNI, Med. Hall. Progr. inaug. de *docta Medicorum ignorantia.*

mortales ad partes suas trahendi vel persuadendi arte tantum polluerit, qui doctam non ignorantiam subinde potuerit non profiteri?

§. VII. Quum vero *grammaticarum & poetarum* auctoritas in re publica literaria id sibi dudum iam vindicauerit, ut ceterarum disciplinarum doctoribus, in quantum verborum & syllabarum in pronunciando modus habendus est, leges veluti praescribat, quarum vi & auspicio tam oratores, quam rhetores; eodem omnes ac singuli se instituto teneri haud abnuunt, mirum certe videri cuique posset, quid sit, quod tantorum saepe virorum iudicia in tanto erga eas obsequio teneat? Neque enim millesimus quisque eruditorum est, qui poetarum eiusmodi auctoritatem ausit vel quantula cunque pronunciandi nota infringere, vel impugnare, aut contra instituta eorum temere quid introducere, qui, istud non impune se fecisse, magno postea cum sui ludibrio experiri velit. Ecquid vero hoc aliud, quam docta aliqua ignorantia, qua rei quamvis rationem inquirenti ne postulare quidem liberius licet, ipsis hoc sibi solis poetis ius vindicantibus?

§. VIII. Ad *oratorum ac rhetorum* decreta & placita si paullo attentius animum aduertas, nil ipsi magis, quam doctam aliquam ignorantiam sibi vindicant, dum *numeri*, quam vocant, *oratorii* arcana tanto cum strepitu extollunt, ac si instar oraculi ex tripode dicti mysteriorum sacrorum pectus plenissimum gererent. Et, si verum eos fateri iubeas, quid sit, quod tanto dignum Apolline, qui causas rerum in primis rationemque calleat, hausisse sibi a praeceptoribus videantur, nihil ab iis certi praeter ignorantiam hanc doctam referas. vid. *Weisius, Grosserus & alii in Inst. orat.* Id vero esse, quod

quod ne quisquam vnquam mente satis perceperit, aut consecutus omnino fuerit, sed aurium relictum iudicio, quo, si fateri, quod sentiant, teneantur, ad sonus saltem, qui vocibus fit, suauitatem sese recipiunt, qua fieri existimant, vt audiendo nec auris, nec legendo animus vnquam facile offendatur? Sed, si praestantissimos quandoque oratores audire gestias, obmutescentes eosdem saepius auscultes, quam eloquentes; e. g. *Buchnerus*, *Cellarius*, aliique.

§. IX. Ad *Mathematicam* si exigenda res veniat disciplinam, hanc omnium constare certissimam, quae numero, mensura & pondere inprimis absoluitur, merito existimabis. Sed quid emetiri tandem non audeat, qui coeli cursum, solisque ac siderum sibi motum ad leges reuocare sustineat, in quorum natura & ordine peruestigando vel acutissima quaeque ingenia conatu quouis incassum allaborarunt? Quis *planetarum* iter tam felici vnquam secutus est sidere, vt non erroribus subinde grauissimis se lapsum senserit? Quis *lunae* illud stupendum naturae miraculum tam perspicaci vnquam contemplatus est oculo, qui, quanto id propius nobismet ipsis immineat, non admirandum magis, quam, cuius naturae aut constitutionis sit, omni acie ingenii rimandum mortalibus, naturae operum studiosis, intelligat? Quis denique stellarum enumerare varietates aut ordines, sine summa sapientiae coelestis & conditoris omnipotentiae laude, nisi cum ignorantia hac doctae professione, sustineat?

§. X. Nec *Logicorum* hic schola nobis est praetereunda, tanquam veritatis inueniendae magistra & *obstetrix* animorum, felicibus iam diu partibus meritissima. Haec vero quid aliud de rerum vnquam inuentione magis ingenue tradidit, quam

quam doctam se ignorantiae adscitam velut nouercam esse, quae doctae istius filiolae, infantis instar, parentum saepe genus alterutrum, si non vtrumque etiam, ignorantis curam sustineat? Insigni profecto haec eadem est documento, non natam nobiscum esse scientiam aut sapientiam, sed disciplina nos opus habere artiumque magistra, quae instrumento saltem formandae iuuentutis & ignorantiae proli deseruiat. Quo quidem ipso, rudi nos admodum ingenii, naturae munere, facultate praeditos, ipsamque adeo amissae in nobis imaginis divinae, tam mentis viribus privatae, restaurationem perquam esse difficilem, facile simul a quoque potest intelligi. Quis enim ita est rerum intelligens, ut eas, quid sint, accurate sibi definiendas sustineat?

§. XI. Ac, ne *Metaphysicae* plane rudes atque immemores hinc discedamus, iuuabit saltem, naturae mysteria, abstractis mentis ideis, ad animum reuocare. Quis, quaeso, feliciori rerum in vniuerso cognitione ac mentis de iis abstractionibus, ut cum scholasticis hic loquar, gaudeat, quam qui in earum natura peruestiganda diu multumque se exercitauerit? Quis sui vnquam cognitionis studio animae naturam penetrauit, originemque ac modum eius cum corpore se vniendi ac communicandi est assecutus? Tantum abest, ut spirituum naturam cognoscere quis possit. Eorum vero, qui *Metaphysicae* operantur, ingenia ab iis maxime ad eruditum cum ignorantiae fratribus certamen excitata agitari & exerceri, qui nusquam alibi terrarum ac gentium, qua rerum experti fuerunt, sapere cum fructu aliquo didicerunt; tot terminorum, quibus inveniendis ad certam tantum rerum intelligentiam determinantur, technicorum velamina & inuolucra, ipsorum subinde ignorantiae asyla manifestis erro-

D

rum

rum iudiciis & argumentis produnt. Vnde adeo rerum potius, quam terminorum, ad fraudes saepe compositorum, studiosos sui memores esse oportet, nisi cum docta exinde ignorantia inanes redire voluerint.

§. XII. *Historiarum* perinde ac rerum in orbe gestarum monumenta iisdem, per ignorantiam doctam, fatis esse obnoxia, vel inde licet cognoscere, quod, vbi iuris & aequi scientia deficit, ad personarum illustrium exempla & populorum ac gentium mores & instituta respiciendum ubique monet ac praecipit. Quae si ad orbis vniuersi notitiam perferuntur, & ad magni instar spectaculi in scenam mortalium producuntur, nihil certe rei aliud designant, quam doctae aliquod ignorantiae theatrum, in quo, quicquid hominum ad vsum spectet, exemplo magis, quam literarum praeceptis vulgo tradi consueuerit. Quis enim rerum in orbe gestarum tam gnarus ac conscius, vt veras earum origines referre aut coniecturis quacunque mentis indagine consequi, nisi literarum monumentis traditae sint, sustineat? Quae quidem omnia cum ita sint in promptu, vt res disputatione non egeat, vix hominum memoria, tam vastis historiarum, quae tradita sunt, literisque mandata & consignata, monumentis suffecerit, quin docta cum ignorantia plurimum sibi negotii facessat. Quid enim de Polyhistorum meritis censendum est amplius, quam quod insigne quoddam ignorantiae doctae palladium concilient, quorum opera egregie quam plurimum sibi tum aliis imponere didicerunt? Quemadmodum *diariorum* quoque *auctores* in aliorum quoque laborum menses falces suas immittere, insigni cum ignorantiae praesidio consueuerunt.

§. XIII.

§. XIII. Ad naturalis Theologiae notitiam ubi progredimur, ipsius Pauli apostoli exemplo doctae illius ignorantiae in tantum certiores nos reddimur, in quantum a summa se alienum censebat rerum cognitione, ut ne philosophum se quidem dicere auderet aut profiteri. Quamvis non omnem propterea philosophiam respueret, quod sanctioris iam esset sapientiae lumine collustratus, sed quod vulgi se captui accommodaturus sublimiori illo dicendi genere abstineret, cuius philosophorum ex institutis haud plane rudis atque ignarus erat. Cuius rei ne dubia hinc mente lectores redeant, ipsius porro apostoli eadem de re verba iuabit expendere, quibus suam is ignorantiam tantum non omnem diffimulabat aut penitus abnegabat, ut, doctam hinc potius se profiteri, haud obscuris adeo argumentis innuere videretur. *Non enim arbitratur vel ratiociniis colligebat, se scire aliquid inter ipsos, quibuscum agebat, Corinthios; I. Cor. II. 2. nec sermo eius & praedicatio persuasibilibus humanae sapientiae verbis constabat, sed demonstratione spiritus ac virtutis; ib. v. 4.* Vbi quidem sermonis illius ratio, quam ipse abnegat, nonnihil momenti habet ac ponderis.

§. XIV. Vnde adeo nova nobis veluti *quaestio* nascitur: *an docta* eiusmodi ignorantia, quae certis limitibus est circumscripta, merito sapientiae nomine veniat? Vbi quidem vox sapientiae nobis eadem est, de qua sermo apostoli habetur, ea quippe, quae perfectorum est hominum, in quantum mortalitas haec capit, perfectioni gradu quam proxime accedens; non absoluta tamen, sed limitata, & ad philosophicam hoc pacto ignorantiam restricta. Ex quo illud quoque consequitur, philosophiam, quatenus sublimiori sapientiae lumine est destituta, sibi & rationis corruptae magis, quam cor-

D 2

rectae,

rectae, dictamini relicta, non tam sapientiae, quam studii illius nomine insigniendam, quo primi eius cultores a vero sapientum nomine discerni se voluerunt. Sobriam enim & sanio-rem illam non nullis, quibus nitatur, opus habere ac indigere principiis, quibus ad rationis humanae vsum deductis certas quasdam elicere conclusiones, easque ad actiones deinceps sapienter instituendas componere liceat, hinc elucebit.

§. XV. Humana igitur si cum divina comparetur scientia, stultitiae hanc magis, quam sapientiae, simulacrum mentiri ac speciem referre, non ipsa tantum coelestis nos veritas edocet, cum naturae hominis facultatem Deum in sapientia ipsius cognoscendi omnem abiudicat; sed & hominum quandoque sagacitas sibi visa est consecuta, quantum sacra a profanis, diuina ab humanis differant, egregiis rem argumentis commonstrantes. Quod circa stulta aliis sapientia, & sapiens haec audit stultitia, quam summus ipse apostolus in Deo maiorem hominum sapientia statuit, quae tamen tantum abest, vt hominum a ratione abhorreat, vt supra eandem potius, quam contra eam humanis ingeniis posita videatur. Nec rationis humanae principiis diuinae veritatis aduersari mysteria, eiusdem nos rei certos reddit ac commonefacit, latere in hominum ingeniis ignorantiam, quae, quocunq; se modo doctam existimet, multarum nihilominus rerum ignorantiae ream conuictamque se sentiat nec possit non intelligere ac provocata ad forum conscientiae confiteri.

§. XVI. Quo autem maior eiusmodi morborum intellectus humani vis est & contagio, qui summos iuxta ac infimos ad agnoscendam eorum, quae mentis viribus sunt consecuti, penuriam nonnunquam adigunt, eo maiori in emendandis iis aut animo eruendis cura opus est plurimis. Vbi
qui.

quidem, si mediis nonnullis animum instruere quis velit, ea non anxie ubique sunt conquirenda, sed ingenio maxime utendum, ad ideas rerum cum earum nominibus comparandis idoneo, quod adeo vim animae imaginantis maximam exigit; qua, quid indolis in qualibet re lateat, suo pte quis cernere ac consequi ingenio valeat. Hoc enim nisi instructus quis fuerit, frustra omnis ab eo labor suscipitur, quocumque etiam in vastis litterarum monumentis studio versetur, animumque exerceat, nisi vagum in rebus quam plurimis studium iucundum sibi ac volupe duxerit, sive hinc voluptatis, sive utilitatis omnino quid capiat.

§. XVII. In ipsa autem rerum experientia, stultorum illa magistra, plurimum plerisque esse praesidii, vel usus rerum quotidianus exempla nobis suppeditat luculentissima. Quis enim artis unquam praecepta tam firma tradidit, ut ante, quam ad arcem perfectionis perducta esset, infringi nulla ex parte aut labefactari potuerit? Si vero artis est, naturae arcana longe arcessere, quo ipso actu atque agendi modo ipsi arti cessisse hoc nominis videtur & appellatio, probabile hinc quoque admodum videtur, exercitationem non nisi artis esse exactionem, qua doctae cuiusque artis, naturae insitae, ignorantia excitetur, & pristinae in homine amissae imaginis restauratio in dies augeatur promoueaturque. Unde & hoc sua sponte consequitur, latere in homine nonnulla amissae imaginis divinae criteria, & veritatis quaedam principia, quae scintillarum instar ingenio relictæ, quorum vi ac beneficio, ceu rationis aliquo lumine, ad reuelationis conspectum, per summii Numinis, qua univrsis se offert, gratiam, qui modo velint, perduci omnino possint. Quae quidem ipsa idearum illa sunt semina, quibus ad proferen-

dos aliquando fidei salutaris fructus homines, vera saltem Numinis notitia imbuti, sunt excitandi.

§. XVIII. Ignorantiam hanc mentis esse priuationem aut certae eius facultatis, nemo, nisi mentis ipsius inops, temere in dubium vocabit. Sed & voluntatis eandem esse corruptionem, vel ex ipsa arctissima vtriusque compage ac necessitudinis vinculo non potest non elucere atque intelligi. Quod quo euentius ac manifestius euadat, hominem inuicemur, rectis quidem a sapientiae magistris virtutis praeceptis imbutum, eius vero, nisi ipse ad voluntatis hanc emendationem accesserit, iugoque se disciplinae submiserit, in cassum profecto omnis eiusmodi cultura & ignorantiae discussio ac propulsatio laborabit. Vnde adeo haud secus comparata videtur haec res esse, quam si nubem aliquis cum nubibus committat, eandemque ita percutiat, ut corpus quoddam tot ictibus, quot auram feriat, traicere videatur: quo tamen aliud nil ager, quam ut sua se ipsum ignorantia turpissima cum animi stultitia aperte prodat omniumque ludibrio exponat.

§. XIX. Quemadmodum praeterea & umbra corpus sequitur, nec obuersanti aut obuio cuius cedit, dum pertinaciter hoc ei obnititur, nec, licet eadem resistat, vinci ac superari ab eo potest; ita eadem plerumque animae facultas, quae intellectus dicitur, praestat quidem & praesse solet hominum ignorantiae, sed, quamvis ab hac saepius vincatur, aut impediatur, nihil tamen proinde obstat, quo docta se ignorantia tueri iure praesidioque in foro quovis scientiarum, artiumque & disciplinarum valeat. Est enim *ignorantiae* haec umbra quaedam, suos quosque cultores aut studiosos, vel fugientes sequi, vel sequentes fugere plerumque solita, a qua
quo

quo longius quis fugit, eo se propius conuictum sentit, quoque propius ad eius praesidium contendit, eo ab ea longius recedit. Tanta igitur est vtriusque animae facultatis corruptio, vt neque corpus absque vmbra, neque vmbra absque corpore fugere se invicem aut sequi omnino possit, siquidem voluntas neque corrigi ab intellectu, neque intellectus corripi a voluntate potest, aut mutuo vtrumque facultatum genus amicitiae foedere contineri.

§. XX. Quam propinquo autem scientia cum sapientia vinculo necessitudinis coniuncta est, tam amice vtraque, si recte se habeat, ceu mutuo familiaritatis nexu, studio secum inuicem conspirant, vt neutra alteri felicitatem, qua ad primam illam divinitatis imaginem vocati sunt aut renouati, inuideat, dissidioque se mutuo aut odio prosequatur. Quamobrem nec illa ab hac temere est fecernanda, nec ab illa haec removenda, sed eodem vtraque facultas coniungenda consortio, quo caro ac spiritus, vocales & consonantes inter se mutuo continentur, & quarum altera ab altera diuisa consistere ne quidem potest, tantum abest, vt diuelli se inuicem per summam earum necessitudinem vel vlla satis idonea ratione possit. Vnde & hoc sua sponte consequitur, scientiam non esse veram ac genuinam, nisi quae cum sapientia coniuncta, siue quae rerum earundem, quas animo complexus intellectus intelligit, rationem cum voluntate promte exsequitur, ipsumque adeo ad actum quemque bonorum scientiam deducit, quaeve insolentem alias & tumescentem istam scientiam charitatis & sapientiae studio emendat.

§. XXI. Vnde & ignorantiam, quam venditamus, doctam sapientiae affinem cognatamque intelligas. Humana enim
cum

cum angustis satis inclusa & circumscripta limitibus sit sapientia, & iusta eius angustia hinc doctae satis se titulo tueri potest atque obuertere. Quamobrem, quo longius humana patet scientia, eo profecto latius profundiusque docta se ignorantia extendit; cuius amplitudinem ne mathematicus quidem doctissimus vel certissimus emetiendam susceperit aut definire sustinuerit. Vnde & hanc ignorantiam, qua omnis etiam apostoli scientia absoluitur, non minus, quam illius, sapientiam habendam dicendamque contendimus. Quantumvis enim, quae ignoramus, longe sint maxima & infinita, cuncta tamen vel eum in finem, ad quem vitae nos breuitas permittit, comparata ad eundem nobis nihilo minus consequendum & obtinendum sufficiunt.

§. XXII. Hunc vero amissae in nobis pristinae imaginis divinae esse restorationem, cum nemo, nisi rerum omnium ignarus, admodum ignoret, facile hinc quoque patet, sublimiori nos lumine ad indagandae veritatis coelestis mysteria indigere, siquidem recte ad eandem contendimus & rationis, quod natura nobis suggestit, lumine ad reuelationis illud seu cognoscendi principium salutaris, quod sacra nobis scriptura exhibet, manu nos duci facile patiamur. Quae, si oracula ipsius omni exceptione maiora fideque dignissima auscultamus, primum nobis praecipuumque sapientiae initium *Timorem Domini* commendat, neque alia hunc ratione animis inspirat, quam quod eos sapientiae quibusdam veluti elementis instruat sacramentisque ad ineundam post vitae rationem & fungenda Christiani hominis officia obstringat. Timore enim qui occupatus est Domini, haud facile quid vnquam committet, quo cultus eius atque obsequium, vel minui vel laedi posse quodammodo videatur,
 quin

quin & pietatis omnis & religionis studio eundem, quem toto animo, totoque corde ac pectore, animaeque viribus obseruat, colit ac reueretur, prosequendum omnino statuit, summoque summi instar boni amore complectitur.

§. XXIII. Vnde, quantum ab eruditione haec differat ignorantia, facile ex ipsa eius natura haecenus demonstrata licet cognoscere. Haec enim quoad cum eruditione comparanda venit scientia, scire suum pro nihilo habendum intelligit, quod, quanta eius quanta videtur cognitio, non tamen alio, quam ignorantiae plurimarum in vniverfo rerum praetextu gaudet. Ex quo porro consequitur, quod, quancuncque in rerum nondum ob oculos positarum studio desudantes defatigamur, nihil tamen in iis magis saepe proficiamus, quam vt nostram ipsorummet iis de rebus ignorantiam profitendi causas inueniamus grauissimas. Cuius rei, vt & testes quosdam hic aduocemus, adeo quidem opus non est, vt vel sapientissimorum virorum testimoniis comprobari haec posset sententia, nisi abunde iam passim eorum dicta hoc argumentum vrgentia constarent. Ita enim, ne polymathiae me studio inuoluam, non ignarus quidam rerum auctor pronunciat: *O quantum est, quod ignoramus!*

§. XXIV. Sed, quo pacto ignorantia haec docta cum sapientia conueniat, vtrumve ea cum hac aequae possit consistere, edisserendum hoc loco, qua fieri breuitate potest, videbitur. Quae quidem vbi iam animum virtutibus occupauerit, bonisque eum iam litterarum studiis disciplinisque instruxerit, non potest non doctae huius ignorantiae tenebris animus inuolui. Est enim Moſis quoddam velamen, iis, quibus sapientiae praecclusa sunt adyta, obstructum, quo penetrare haud licet, quam maxime innato quis desiderio studioque

E

ad

ad eadem contendat. Perinde namque sciendi hoc desiderio, quo plurimi tanguntur, correptus ageret, ac parum cautus ille philosophus, qui coeli se sidera contemplaturum iactabat, sed nimium mox rebus suis confidens, mentisque oculis in coelo defixus, velut extra se positus, quo altius sublatus iam videbatur, grauiore post lapsu ruens, misere ingemiscebat. Ecquid quaeso ineptius ab iis vnquam suscipiatur, quam si virium suarum mentisque infirmitatis nondum certi satis ea sibi emetienda aggrediuntur, quibus ipsa eos coelestis iam sapientia inferiores longe constituit, nec nisi admirandum naturae opus intueri mortales iussit?

§. XXV. Respiciendum proinde ad ea miracula, coelestis quippe sapientiae plenissima, quibus ea vis insita, vt, si vel omni mentis indagine omnique acie perspecta existimemus, arcanorum tamen ipsorum partem vix minimam penetremus, sed vel ex structura corporum, vel ex effectuum virtute tantum quid colligamus, quod naturae a priori cognoscendae ac demonstrandae vix vlllo modo ac ratione respondet ac sufficit. Quamobrem, cum praeter naturalium hanc rerum scientiam via non alia suppetat, qua doctam de iis ignorantiam vincamus aut superemus, ad reuelationis confugiendum est lumen, quod certiori nos methodo instruit rationemque suppeditat, qua cognoscendis naturae mysteriis ex certis rationis principiis operari facilius feliciusque possimus, quam Plinius, rerum ille naturalium scrutator infelicissimus. His enim rectius innutritus qui philosophorum praeceptis institutisque sic vtitur, vt noui nihil discriminis temere admittat, tam longe ab errandi periculo immunis alienum se sentiet, vt, non nisi recta cum ratione sapere plerumque, quam praeter reuelata scripturae oracula, seu
cogno-

cognoscendi principia infallibilia, delirare satius quandoque ducat, tutiusque, rationi quippe ac prudentiae convenientius.

§. XXVI. Sed, ne longius nos latiusque hic diffundamus, vela nobis arripienda & contrahenda sunt ignorantiae illius doctae, cuius vastissimo omnino pelago nos committendi periculum vix effugerimus. In quo quidem versantes adhuc eo saltem deducimur, vt praecipitia hic nauigantium subinde diortia, seu *praejudicia*, vitanda hic arguamus, &, quid doctae illa ignorantiae nonnunquam portendant, remouendis hinc impedimentis, breuibus expediamus. Tanta autem praeciudicii illius, quo, *tantum nos scire, quantum memoria teneamus*, persuasi à docta maiorum ignorantia fuimus, vis est, vt, qui id minus sibi persuadeant, insanire aliis videantur, adeoque in eiusmodi sententiae suffragia suae quisque ineptorum ignorantiae doctorum disciplinae alumnos pertrahere studeat, vt ineptissimum eundem mortalium statuam, qui hoc ignorantiae praeceptum animo fideli non teneat.

§. XXVII. Vt vero, quantum in eo doctae ignorantiae asyllum praesidiumque lateat, pateat, nonnullo saltem hic argumento demonstrandum videtur. Ignorare enim saepissime videmur, quod, si rem paulo saltem penitus intueamur, non ignoramus, sed facile tenere ac reddere possumus, si quidem rei a nobis ratio exigatur. Quod si dubium cuique videatur, ad ea saltem animum adferat haud negligentem, nec sui plane immemorem, quae iustis rerum mensuris, ceu numero, & pondere in vniverso gaudent, & facile profecto sibi intelligere videbitur, quae primo quidem intuitu visus sibi est ignorare. Scire enim nihil est aliud, quam ratio, ciendi rerum essentiam ad intellectum, eiusque imaginem ad mentis

trutinam vocandi, & ad cerebrum hinc referendi, vnde memoriae idea rerum quarumvis sensibus obuiarum imprimenda, quam comparare cum aliis, & certa inde similitudine abstracta, iudicium de iis ferre condiscimus.

§. XXVIII. Quae cum ita se habeant, vt demonstratione vberiori vix egeant, facile hinc quisque rerum peritus intelliget, quid rationis & sapientiae in ipsis rerum nominibus, sapienti primorum parentum consilio & institutis maiorum iis impositis, lateat. Quod si enim pro docta scientiam hanc ignorantia venditemus, parum hinc aberit, quin stultae nos ignorantiae vel supinae prorsus ignaviae reos exhibeamus. Ex quo autem eo hominum processit insania, vt, si non malitia, temeritatis certe iudicio laborans, *paedantismi*,* rei ipsis cum voce obscurae magis, quam cognitae, insimulet, qui literarum studiis in castris operantur inferioribus, nihil tamen eo ipso magis agentes, quam vt doctae se ignorantiae asylo parum ingenuos ac modestos committant, cuius e disciplina rudes eorum, quibus omnis post vita nostra opus habet, discessisse, turpissimae est ignorantiae argumentum.

§. XXIX. Quo quidem ipso ad literaturae, quam vocant, elegantioris campum deducimur amplissimum, dum literarum inprimis culturam cum rerum ipsarum studiis scientiisque & artibus coniungimus; quem quidem omnem hic emetiri, nec nostri est instituti, nec rerum nostrarum in praesenti ratio permittit. Quod si tamen ad eruditionis vulgaris indolem propius paulo animum aduertamus, nihil eam cum docta, quam colimus, ignorantia praerogativae aut praesidii habere, vel ex ipsa eius notatione, quae
rudem

* vid. Illustr. CHRIST. THOMASIVS in *Philosophia aulica*; & VLRIC. HVBERSVS Orat. de *paedantismo*.

rudem saltem ad sapientiam animi dispositionem infert, facile intelligemus. Vnde egregie falluntur, qui primis saltem ab elementis eruditi, sapientes se statim euadere, sibi persuadere non dubitant; perinde ac si rudis quisque ac inconditus lignorum stipes Minervae aemulari possit imaginem, aut simulacrum eius vel simile referre, quod sublimiori artificis ingenio effingendum formandumque ad iustam illius imaginem & dignitatem est producendum.

§. XXX. Sed, ut *falsae* illi, quam nonnulli prae se ferunt, ac pro docta venditant, *ignorantiae* asylum denunciemus, varia eorum latibula & receptacula sunt detegenda, quibus solenne est, in castris Musarum artiumque liberalium disciplinis sibi quoddam praesidium dispicere ac comparare, ut, quo tuto progredi aut in celebritate versari non licet, aliorum se vestibus & ornamentis potius, quam suis ipsorum linteis, involuant. Ut adeo, qui rerum omnium expertes sunt, nullisque fere negotiis aut publicis muneribus idonei, videri saltem, qui non sunt, doctorum opera insigniter laborant, inepti prorsus ac rudes inveniantur. Quo ipso illi similes videntur cornicibus, Aesopo commemoratis, quae pavonum se plumis exornantes, variam sic pulchritudinis formam sibi ac speciem concilians, summam tamen deformitatis suae, cultum cum vultu temere mentitae, imaginem adsciscunt, nec nisi omnium se prorsus ludibrio exponunt, sibi que maximam hoc modo invidiam turpissimamque simul contrahunt.

§. XXXI. Quo quidem loco & illi habendi sunt, qui literarum in scholis praesidiis muniti nondum satis instructi ad rerum statim sublimiorum artiumque & disciplinarum studia proruunt, parum praeterea de methodo ac

ratione solliciti, qua longum artis iter tuto suscipi aut defini-
niri boni successus consilio feliciter ab iis queat. Quod si
vero semel ingressi fuerint, magnisque cum sumtibus emen-
si, resipiscere tum demum plerique fere incipiunt, subinde
etiam ingemiscetes, utinam in ea adhuc essent aetate con-
stituti, qua primis ingenii viribus florerent, aut redire ad
eandem per resipiscentiam liceret, suam adeo edocti igno-
rantiam libere ingenueque non possunt non profiteri. Ecquid
vero hac turpius, aut sapientiae studiosis indignius, qua tam
durum ipsis ignorantiae iugum imponitur, ut, qui auertendum
aut corrigendum & emendandum hoc animi vitium sus-
ciperet, nefas quoddam committere censeretur.

§. XXXIII. Aegre itaque ferendum mortalibus hoc plu-
rimis incumbit, ut & *pontem hunc asinorum* in medio re-
linquant, cuius limites adire tantum non omnibus indignum
putatur, ut, transire eos ac supergredi, non minus fere pro-
crimine habeatur, quam cum barbara adhuc aetate, Graece
intelligere, barbarum; Hebraica vero nosse, haeresis cen-
seretur. Quamquam nec hunc facile quis peruadendum
adeo sibi temere persuaserit, ut non ad scopulos hinc inde
obuios, pedemque saepius labentem offendentes, grauiter
allidat, quin inculta passim & sterilia agrorum senticeta
inueniat, quibus e medio tollendis maior saepe, quam qui
in terendis literarum subelliis occupatur, Apollo requiri-
tur, rerum quippe maiori usu edoctus, & ad ferendum de
iis iudicium idoneus maxime aptusque redditus ac confir-
matus.

§. XXXII. Etsi vero tam varia linguarum prostant con-
nubia, ut nulla fere absque alterius vinculo mutuoque con-
sortio consistere aut sola satis possit intelligi, aut sine aliarum
luce

luce in scenam prodire, ac populo esse spectaculo, nulla fe-
cum mercede conducta aut comitis loco adhibita: Latina
tamen nobis in praesenti vel eo nomine in medium ducen-
da est, quo ea latius imperium iam olim obtinuit, idemque
adhuc obtinet, ut ipsa primum ab incunabulis primisque
originibus a Latio profecta suos eo natales vicissim referen-
dos intelligit. Si enim vlla alia in lingua verborum reliqua
vis est, in latina profecto multum esse momenti situm ac
ponderis, ipsarum subinde rerum, verborum naturam ac
indolem secutus, mihi demum expertus videor intelligere.
Quo enim fructu in Romano adhuc foro iurisque inde pro-
fecti scientia versari quis possit, nisi linguae ipse latinae ele-
mentis antea imbutus fatis atque instructus fuerit, vel nullo
admodum disertoratore, cuius ope ad persuadendum
hic opus sit, aliquid monente, suo quisque exemplo edoctus
vix dubitauerit.

§. XXXIV. Quod ut paucis iam exsequamur, ad Roma-
nos saltem primosque illos iuris antistites & conditores, ceu
optimos verborum linguae ipsorum interpretes, est redeun-
dum, quorum ex mente certe atque sententia, quae statu-
enda vel definienda hodie in iure veniunt, diiudicanda sunt
ac componenda. Quorum vero authenticae qui linguae igna-
rus ac rudis fuerit, quid certi quaeso exinde sibi persuade-
at, hanc aliamue iis mentem constare, & verborum hunc
istumue sensum animum induxerit? Quem ergo alium in
finem Tit. de *verborum significatione*, de qua integrum Tr.
Alciatus condidit, compositum existimemus, nisi ut rerum
naturae ac indolis, quid valeant, quid nobis aliisque desi-
gnent, diligenter admoneamur? Etsi verba vulgo nummo-
rum instar pretio censeantur, eorum tamen, qui minoris
haec

haec faciunt, auctoritas cum longe sit incertior, quam cuius lege atque arbitrio his statuendum sit pretium, plus tribuendum iisdem esse, quam vulgo fieri consueuerit, vel ipsa iuris interpretum suadere videtur interpretatio.

§. XXXIV. In ipso autem verborum cuiusque sensu cum manifesta saepe lateat ambiguitas, quid circa eam iustum iniustumve censendum, non nisi accurata eorum habita ratione licet cognoscere. Qua quidem recte adhibita, ut pristino vox aliqua significatui restituatur, non temere criminis est arguendus, qui prima vocis cuiusdam idea & notione utatur propria, a qua, nisi summa urgente necessitate, ex rhetorum & bonae mentis interpretum praeceptis, nunquam temere est discedendum. Ea enim si habita ubiuis rei ratione locum non habeat, ad aliam mox aliamque transitus hinc erit facillimus, siquidem alia quaeque ex alia, ordine se invicem excipiente, nascitur, nataque radicis ipsa strues cognoscitur; sublata autem omni vocis ambiguitate omnis simul dissensus tollitur, mutuumque humanae societatis in vniuerso vinculum concordiae animorum sententia confirmatur.

PARS III.

PRAGMATICA S. ONOMATOLOGICO-THERAPEVTICA.

h. e. ANALYTICA GRAMMAT. CRITICA.

§. I.

A Literarum igitur elementis & verborum quibusdam nugamentis, quibus ad varia subinde ambiguitatum discrimina delapsi semel deducimur, ut ad ipsa rerum documenta, ceu ingenii monumenta, animum adiiciamus;

Primi

Primi instar principii & plurimorum velut criteriorum radix est.

AXIOMA I.

Cuncta rerum in vniuerso tantum non omnium nomina & vocabula a Verbo proficisci, quod radicis instar grammaticae, haud secus, ac reliquis in linguis, se habeat, ex quo deriuata deinceps & coniugata quam plurima enata progerminant. Quod si quis in dubium vocare, atque in belli, grammaticis iam olim exerciti, inferendi materiam vertere, haud erubescat, nae imprudentiae is reum se dederit, nec, quo minus doctae arguendus sit ignorantiae, crimine se liberabit; cuius quidem notam cum turpitudine sibi inurendam ipsemet incurrit, qui, quod antea perspectum non habuit aut exploratum vnquam, aut prorsus fieri negat, aut rem ita factam enatamve inficiatur. Siue enim naturae spectes originem, ad quam creaturarum referendi natales veniunt; sive ad gratiae ipsius, seu Numinis coelestis, lumen atque auspiciū res omnes exigas, ad Verbi illud principium singula sunt reuocanda, quod in ipso rerum principio extitit, rebusque ac creaturis omnibus essentiam cum existentia largita est, eamque adhuc omnibus largitur.

§. II. Quod si minus adhuc captui cuiusque accommodum videatur, rei saltem sic rationem instituat, vt creatorem creaturamque sibi venerandum proponat, dispiciatque, vtrum absque creandi notione, quae creationem secum ipsam complectitur, concipere sibi que alio praeterea modo reddere familiarem queat. Qua si minus quandoque vti methodo liceat, iungendum intelligat

AXIOMA II.

Particulas perinde verbis affines esse, ac participia, quae verbi partem, partem vero nominis cuiusdam constituunt, ex

F

quibus

quibus tertium quid rei componitur, & quasi effectum enascitur. Ecquid enim *prurire* sit aliud, quam *prooriri*, aut *propitium*, quam quod *pro* miseria expetitur, vel, si malueris, cui ab alio *propius* itur, & gratia conciliatur? quidue *annulus* innuere aliud vocabulo hoc videatur, quam quo votis alius annuitur, seu pronubus is sit, seu alius? Id tamen ipsum quisque significat, vinculo eiusmodi vel symbolo consensum fieri aut annui, constrictum se esse aut obligatum, qui eo ornari ac cingi se patiat, digitosue submittat. Quo quid enim simplicius atque perfectius, eo & omni verborum compositione prius est, cognituque facilius, quo ipso, ceu leuiori, rerum principio, verborum quaevis elementa & complementa constant, quibus plura deinceps connubio iuncta mutua coniunctionis lege ac vi quasi naturali gaudent, ad designanda, quae vno alias vocabulo efferri aliisque communi idearum perceptione sententiaque tradi haut aequae possunt, v. g. vox *terminus* si absque rei consideratione ad animum revocetur, nihil ex eo certi praeter inanem vocis ideam intelliges; si vero suis eum principiis metiaris, ab eo, quod manibus teritur, limites is constituisse cuique videbitur.

AXIOMA III.

Mutata saepe litera, siue vocali, siue consona vel syllaba, verbi ipsius significatio mutatur.

§. III. Quum vero *variae pro rerum varietate verborum* *ideae* opus essent, singulisque, per quas discernerentur, *differentiae specificae constituendae*, quae diuersas a se invicem significationes ad designandas res singulas sustinerent, *varia sibi ex parte similia* fingenda & constituenda fuerunt *vocabula nominum*, quibus *alia ab aliis diuersa, sibi*
tamen

tamen quodammodo similia, leui saltem vocis inflexione designarentur, quibusve hoc aliudue ex sua ipsius natura indigetur, v. g. vt terminus ab eo, quod materia designat, discerneretur, haec manifesta rei similitudine a termino sic quoque conversa videtur, vt, quod manu manifesto teratur, materia, quod autem manibus quasi eminus tractetur, terminus appelletur. Quod si obscurius cuiquam forte appareat, rem saltem penitus examinandam suscipiat, dispiciatque, annon rei ipsius ratio sibi hoc vindicet, vt certa hac rei, quam sustinet, idea fungatur ac gaudeat? Id quod & aliis illustrari ac commonstrari exemplis potest quam euidentissime; siue ad carminis quis rationem animum aduertat, quod non aliud vi vocis infert atque significat, quam carimen; siue ad criminis vocabulum attendas, idem, quod carimen designat, priori saltem vocali eiecta, quemadmodum in carmine vocalis media, i. est elisa; vnde suo cuique ingenio sensuque abundare licet, studiosius inquirendi, quia id ratione factum, vt vnum idemque vocabulum, mutatis saltem vocalibus, ad diuersam rem designandam inuentum sit, communique consilio & instituto hominum introductum.

AXIOMA IV.

*Vnica nonnunquam vocalis aut consona rei non
nihil verbo infert.*

§. IV. Nonnihil proinde acuminis vox ipsa acumen habet, etiamsi cacumen idem fere significet, hoc saltem discrimine intercedente, vt acumen ad mentis referendum sit aciem; cacumen vero ad materiam sit comparatum, ita, vt pro coacumine, contracta particula praepositiva, vocali, & per vnionis rei rationem veluti abscissa & resecta

acumen simul committat; quod rei adeo materialis coniunctionem pyramidis ad instar denotat. Quod si minus adhuc verisimile videatur, vero quoddam similis in medium afferre nobis nunc liceat; quod qui non capiat, nae rerum parum intelligens minusue peritus aut subactō ingenio exercitatus existimetur, nisi album mox calculum rei euidentiſſimæ ac manifestiſſimæ lubens prorsus adiiciat. Annon *iunctus* & *cunctus* sororio sibi inuicem nexu quodam ac vinculo per vnionis gratiam arctissime sint coniuncti, cum *iunctus* a iungendo, *iungens* autem idem sit, quod *in vnum agens*, *cunctus* vero idem, quod *coniunctus*, per eandem, quam paulo ante adduximus, vniendi coniungendique rationem, amissa saltem per alterius connubii naturam literarum, ceu sanguinis prioris integri, particula, coalescente magis, magisque in vnum simul contracto, initoque connubio coëunte. Quo quidem modo literarum natura & constitutio haud secus se habet, ac hominum ipsorum propago atque progenies, quorum & *proles* & *suboles* olerum ad instar a primis iisdemque velut herbarum elementis, per alimenta complurium mox accedentium spirituum animalium, ad iustam mox generis staturam & magnitudinem confurgunt, viresque ac robur significandi ac demonstrandi per rerum in vniuerso omnium naturam qua genus & species consequuntur.

§. V. Ne vero verbis duntaxat ac vocibus hic ludere videamur, aut parum in rerum cognitione vsus lectorem instruendum participem reddamus, beneuolum hic saltem quaero quaesoque & obtestor, vt, quid verbi vnquam verique simile in mente perceperit, candide exponat, referatque, cuius ipse rei vnquam ideam sibi rite formauerit, nisi quam

ex

ex docta a patribus & praeceptoribus ignorantia traditam retulerit sibi que persuaserit. Vnde formandum nobis est

AXIOMA V.

Abiecta quandoque litera a fine prioris & initio posterioris contracta vox constituitur. Num igitur vox *verbum* aliud quam *verbum*, seu *veri* quid in se *habens*? aut *verum* aliud, quam *vis* illa *rerum*, quae in ipso rerum erat principio, atque etiam nunc est eritque etiam futura? Aut sane omnia me fallunt, aut ne sensu quidem communi polleat, qui talia reique vero similia non sana mentis ratione atque indagine perspiciat, perspectaque & explorata ingenio citra controversiam, interprete natura, sentiat intelligatque. Aut enim ipsa rerum vocabula, quibus res sunt insignitae ac designatae, inania sint oportet, nihilque significantia; aut prudenti hominum inuenta sunt instituto, consilioque introducta; aut sapienti omnino diuini Numinis prouidentia mortalium animis inspirata. *

§. VI. Quod si ita omnino res habet, ut diuina circa linguarum non minus, quam litterarum, naturam & constitutionem sapientia & providentia manifesto se exeruerit, operosamque praestiterit; dubium ni mirum videri non debet, eam tam varia hac & diuersa linguarum natura & constitutione varia & infinita; tantum abest, ut effari ea quis possit; variam mirificamque suam ipsius sapientiam eiusque adeo mysteria hominibus patefecisse, reuelasse ac manifestasse. Etsi enim linguarum varietas & diversitas con-

F 3

fusione

* Conf. quae S. R. D. B V D D E V S *Theol. mor. P. II. S. V. §. II.* de origine sermonis tradidit; cuius, tum prolatarum, tum reliquarum, quas ibi attulit, sententiarum, mediam merito amplector, summique studiorum meorum Patroni & arbitri obsequio veneror.

fusionem hominum primaeui temporis animis diuinitus im-
missa humano tantum consilio inventae videantur atque in-
stitutae, dubitandi tamen hinc locus nondum relictus est,
quin mirabilem prorsus in dirigendis eorum linguis & inue-
niendis rerum ideis ex ipsa earundem natura, diuina se pro-
uidentia exhibuerit. Cum enim varia hominum lingua-
rum humanarum se dispositio proderet, qua labiorum & re-
liquorum linguae ipsorum organa diuerso se modo exere-
bant, varia utique linguarum conuersio ad producendas ani-
mi ideas & pronuncianda rerum vocabula statuenda erat, re-
rumque vocabula ex ipsa earum natura pro varia proprieta-
tum, quibus affectae sunt, ratione effingenda, quorum alia in
vna, alia in alia se lingua offerebant, mirifica haec tamen
idearum collusionem vocabula inuenta conspirabant, vt mira-
bilem vbique mirificamque omnino diuini Numinis sapien-
tiam ac prudentiam, hominum ingeniis vno velut eodem-
que per omnia spiritu inspiratam, manifestarent.

*Ne vero solis videamur ludere verbis,
Vsus & hinc rerum certus vbique liquet.*

*Vsus sermonis & Linguae practicus.
& quae circa eius officia hinc monita seruanda.*

§. I.

AD sermonis proinde naturam indolemque cognoscen-
dam vt propius iam accedamus, vsumque eorum, quae
hactenus edisseruimus, his adiungamus, sciendum, sermo-
nem nil esse aliud, quam quod *animo feritur*, seu semen ani-
mo productum, animoque vicissim per mutuam humani-
tatis officii rationem aliis vitae sociis traditum & propagan-
dum

dum ulterius, ad fructus post salutare in iis excitandos ac proferendos. Vnde & facile patere existimo, qua ratione Verbum Dei, ceu sermo ore prolatus, semini comparetur, quoties ad producendos in animis mortalium fructus salutare per ministros eius emittitur, quod neque ferre quidem fructus possit requisitos, nisi vi legis & tempestatis afflictionum rite antea praeparetur & imbuatur veluti, quo fine tandem vsuque & fructu ad hominum salutem oleris ad instar iustitiae adolescat ac propagetur. Hoc enim vera omnino & genuina sermonis cuiusque est ratio, vt, quem in finem emissus sit, seminis ad instar se metientis ac multiplicantis fructus ferat, commune prorsus ad commodum & omnium emolumentum compositos & comparatos, quibus ecclesia vel republ. christiana opus habet, fruique in vitae societate atque in aeternum gaudet.

§. II. Vt vero multum hic interest, quo quis sermone utatur, quodve semen animis mortalium iniiciat, non parum profecto refert, cuiusmodi hinc fructus referantur. Qui enim bona hic seuerit, bonos quoque fructus metat, necesse est; qui vero mala duntaxat semina in vitam hanc sparserit, malos in vita hac fructus in sui ipsius perniciem carnisque interitum demetat, oportet. Vnde & sua sponte consequitur, vitiis non nisi vitia protrudi atque progerminari, vt carduus carduum, sentis sentem, spinasque spina, cuneus cuneum trudit. Bonorum ergo qui fructuum in vita segetem spectauerit, bonorum quoque in prima hac feminum sparsione plantarumque institutione aut translatione generum vbique rationem habeat oportet, si qua ei quidem spes est bonae olim messis faciendae, aut falcis segeti felici immittendae. Quod si recte vbique rerum suarum studiosus obseruauerit, dubium profecto non est, artem naturae facile

cile

cile sequacem politiora quaeque atque elegantiora multa in lucem producturam, quorum verba rebus non minus, quam herbis semina, exacte respondeant, quorumue ex minimis quoque rerum folliculis ipsa perficienda perfectae sui substantiae formari species ac fingi potest & repraesentari. Vel enim parvis eadem parvis est, atque exiguis, ex quo perinde atque ἐξ ὀλίγων, siue ἐξ ὅλης ἀγόμενα, magna atque perfecta agere suisque velut ex ouulis pullos producere liceat. Vnde vel artis atque naturae miram saltim cooperationem mutuumque rei negotium constare vel elucere, ni manifesto iam satis appareat, existimemus.

§. III. Ceterum, cum ignorantiae, quam ex eruditorum animis vix euellendam notauimus, tam vastum sit latifundium, vt sensus mortalium vel acutissimos caligine offundat, eoque abripiat, vt nubem saepe pro Junone amplectantur, nos, ne fines eius ac limites temere transiliamus, memores vbique esse decet summi illius Verbi, quod, vt ipsa Veritas & Vita siue λόγος ὑποστατικός est, ita vnum, verum illud bonumque Vitae Ens sapientissimum est, in quo omnes sapientiae thesauri latitant, & cum ἀλήθεια sit, nunquam latet, quin nonnullis saltem, verbum eius quam maxime sequentibus, se patefaciat ac manifestum exhibeat; quodque adeo non vocis duntaxat sono ac nihilo comparandum, sed vitam nobis cum veri sensu inspirat. Vnde & dignissimum memoria seu ἀξιωματικόν coronidis hic loco tenendum asserimus:

Si Christum discis, satis est, si caetera nescis.

Si Christum nescis, nihil est, si caetera discis.

Nam miser est sapiens, qui sapit absque Deo.

CVI

D. S. G.

§ (○) §

Coll. diss. A. 3, misc. 1